Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Bernhardo

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

Bernardus dicitur a ber quod est puteus vel fons et nardus que ut dicitur glo. super cant. est herba humilis et calide nature. Fuit enim calidus in fervido amore, humilis in conversatione, fons in doctrine emanatione et puteus in sciencie profunditate. Vitam eius Guillelmus et B. abbas sancti theodorici et Ernaldus abbas bone vallis scripserunt. De sancto bernardo.

Bernardus in burgundia in castro fontanis ex nobilibus valde religiosis parentibus ortus est. Cuius pater Tescelinus miles seculo strenuus nec minus deo religiosus, mater vero Alet nuncupata est. Hec vii filios genuit, sex mares feminam unam. Mares autem omnes monachos futuros, feminam sanctimonialem. Mox ut filium partu ediderat manibus propriis ipsum deo offerebat. Alienis uberibus ipsos nutriri refugiebat quasi cum lacte materno materni quodammodo boni infundens eis naturam. Cum autem crevissent, quamdiu sub manu eius erant, heremo magis quam curie nutriebat, cibis grossioribus et communibus pascens eos, continuo ad heremum transmittendos. Cum igitur tertium filium scilicet bernardum adhuc gestaret in utero, vidit somnium presagium futurorum: catellum scilicet totum candidum, totum in dorso subrufum et latrantem in utero se habere. Quod cum cuidam viro dei exposuisset, ille prophetica voce respondit: optimi catuli mater eris, qui domus dei custos futurus magnos quoque contra inimicos dabit latratus. Erit enim predicator egregius et multos medicinalis lingue gratia curaturus. Cum autem bernardus adhuc parvulus esset et gravi dolore capitis egrotaret, veniente ad se muliercula ut dolorem suis carminibus mitigaret, cum indignatione nimia exclamans expulit et abiecit. Pietas autem boni pueri misericordia dei non defuit, sed continuo surgens liberatum se esse cognovit. In sacratissima dominice nativitatis nocte cum puer bernardus matutinale officium in ecclesia expectaret et quota hora noctis Christus natus fuisset scire cuperet, apparuit ei puerulus ihesus quasi iterum ante oculos suos ex utero matris nascens. Unde quamdiu vixit hanc fuisse horam nativitatis dominice semper putavit. Ab illa igitur hora in hiis que ad illud pertinent sacramentum et sensus ei profundior et sermo copiosior datus est. Unde et postmodum in laude genitricis et geniti inter prima suorum tractatuum insigne opusculum edidit, in quo illam lectionem evangelicam: Missus est gabriel angelus, explanavit. Videns antiquus hostis propositum pueri tam salubre, ei contra propositum invidit, multos sibi laqueos temptationis opposuit. Cum enim aliquando in quandam feminam oculos defixisset aliquamdiu, tenuisset, continuo de se ipso erubescens in semetipsum severissimus ultor insurgit, ac in stagnum gelidarum aquarum insiliens tamdiu ibidem permansit donec pene exsanguis effectus per gratiam dei a calore carnalis concupiscentie totus refriguit. Circa idem tempus instinctu demonis puella quedam in lectum dormientis se nudam iniecit. Quam ille sentiens omni pace et silentio partem ei lectuli quam occupaverat cessit et in latus aliud se vertens obdormivit. Misera vero illa aliquamdiu sustinens et expectans

deum palpans et simulans. Novissime
tamen immobilis ipse perstitit. Illa vero impu-
dentissima esse erubuit et horrore ingen-
ti et admiratione perfusa surgens abii-
t. Cum iterum in domo cuiusdam matrone ho-
spitaretur, illa adolescentis aspectu decore
considerans vehementer in concupiscentia
eius exarsit. Cum autem seorsum lectum stra-
ri fecisset, ipsa impudenter et silenter de noc-
te surgens ad eum accessit. Quam ille sen-
tiens, protinus exclamavit: latrones, latro-
nes. Ad vocem mulier fugit, familia surgit, lu-
mina accenduntur, latro queritur, sed minime
invenitur. Ad lectulos singuli redeunt. Quie-
scunt ceteri, sed non illa misera, que secundo de-
nuo surgit, Bernardi lectulum petit. Sed
ille latrones exclamavit. Tertio idem que-
ritur. Sed quia nec sic abeo quod solus noverat pu-
blicaturus, tertio in persona mulier sic repul-
sa vix tandem metu vel desperatione
victa cessavit. Cum autem sequenti die iter
agerent, arguentes eum socii, quid tociens
latrones somniasset, perquirebant. Qui-
bus ille ait: Vere hac nocte insidias sum
perpessus latronis, quia hospita nostra nitebatur
thesaurum irrecuperabilem auferre casti-
tatis. Perpendens igitur non esse tutum cohabita-
re serpenti, fugam meditari cepit et
ordinem cisterciensium expetere ingredi sta-
tuit. Quod cum fratres cognovissent et
eum ab hoc proposito modis omnibus prohiberent,
tantam ei deus gratiam contulit ut non so-
lum ipse a conversione non prohiberetur,
sed omnes fratres suos et multos alios ad
religionem domino lucraretur. Gerhardus
enim frater eius miles strenuus hec verba ut ver-
ba vana putabat et eius omnino
monita repellebat. Tunc B. fide
iam igneus et fraterne caritatis zelo
nimium in modum exestuans: Scio in-
quit frater mi scio. Sola vexatio intellectum
dabit auditui. Digitumque lateri eius appo-
nens: Veniet inquit dies et cito veniet
quando lancea latus istud perforabit et ad cor
tuum consilio quod abicis viam dabit. Post
paucos autem dies Gerhardus obsidione ca-
ptus et in loco cui frater digitum imposuerat in-
fixa lancea graviter vulneratur et in custodia
vinculatur. Ad quem B. veniens cum ad loqui
non permitteretur, ad eum exclamavit: Scio
frater Gerharde quia in proximo ituri sumus
in monasterium intrare. Eadem nocte com-
pedes de eius pedibus ceciderunt et hostio
per se aperto leviter aufugit, indicavitque
se mutasse propositum et velle fieri mona-
chum. Anno ab incarnatione domini m.c.xii. a
constitutione domus cisterciensis .xv. servus
dei B. annos natus circiter .xxii. cum sociis
plus quam .xxx. ordinem cisterciensium
ingressus est. Cum autem Bernardus domum
paternam cum fratribus suis egrederetur, Guido
primogenitus videns Nivardum fratrem suum
minimum ludentem in platea cum pueris: Eia
inquit Nivarde, ad te solum respicit
omnis terra possessionis nostre. Cui non pueriliter
respondit: Vos ergo celum habebitis et mihi terram so-
lam relinquitis? Non ex equo divisio hec fa-
cta est. Modico ergo tempore cum patre remansit
sed fratres postmodum secutus est. Ingressus igitur
ordinem servus dei B. ita totus in spiritu
absortus est et deo taliter occupatus ut
iam nullis sensibus corporeis uteretur.
Jam quippe annum in cella noviciorum
expleverat et adhuc si domus haberet testitu-
dinem ignorabat. Multo tempore intrans et exi-
ens in capite ubi tres erant fenestre
unam tantum putabat fenestram. Cum abbas
cisterciensis fratres ad edificandam domum cle-
ravallensem misisset et eis Bernardum in abba-
tem prefecit. Qui multo ibidem tempore in

nimia paupertate degebant et pulmentum
sepius cum foliis fagi conficiebat. Vigi-
labat autem servus dei ultra possibilita-
tem humanam. Nullum enim tempus se magis perdere
conqueri solebat quam quo dormiret. Idoneam
satis reputans comparationem somni et mor-
tis: ut sic dormientes videantur mortui
apud homines, quomodo apud deum mortui dormien-
tes. Unde et si quem durius stertentem audierit
seu minus composite viderit iacentem, pati-
enter vix ferre poterat et carnaliter seu
seculariter eum dormire causabatur. Ad come-
dendum vero nunquam aliquando voluptate trahe-
batur aut appetitu, sed solo timore defectus. Sic
accedebat ad sumendum cibum quasi ad tor-
mentum. Post cibum semper quantum comedit pensa-
re solitus erat. Si quando vel ad modicum men-
suram solitam se excessisse deprehendit, im-
pune abire non permisit. Sic gule illece-
bras edomuit ut ipsam quoque saporum dis-
cretionem ex magna parte perdidit. Slam et
oleum per errorem aliquando propinatum bibit et
penitus ignoravit quousque id est cogni-
tum donec quidam labia eius mirarentur inuncta.
Sanguinem insuper crudum per errorem sibi oblatum
pro butyro multis diebus eum comedi-
disse. Solam autem aquam se sapere dicebat eo quod
dum sumeret fauces et guttur ei refrigera-
ret. Quicquid in scripturis didicit
maxime in silvis et in agris meditan-
do et orando se fatebatur accepisse et
nullos se aliquando magistros habuisse nisi quer-
cus et fagos inter amicos dicere solebat. De-
nique confessus est aliquando meditanti oranti
quasi iacentem omnem velud sibi positam vel
expositam se apparuisse scripturam. Ex
quo tempore sicut ipse in canticis refert cum in-
terloquendum ex his que suggerebat spiritus et
sed non infideliter minus cum fidenti animo re-
servaret ut haberet quid doceret deinceps

excitaturus. Ecce vox ad eum venit dicens:
Donec illud teneris non aliud accipies. In
vestibus ei semper paupertas placuit, sordes
nunquam. Animi enim has fore indices aiebat
aut negligentis aut inaniter apud se
gloriantis, aut foris humanam gloriam affectan-
tis. Proverbium illud in ore eius frequenter erat et
in corde: Qui hoc facit quod nemo, mirantur omnes.
Unde et cilicium pluribus annis portavit quamdiu
diu occultum esse potuit. Sed ubi cognitum esse
sensit, continuo illud abiciens ad commu-
nia se convertit. Numquam autem sic risit ut non po-
tius ad ridendum quam ad reprimendum sibi vim fa-
cere oporteret, et risui suo magis stimulum
adhiberet quam frenum. Cum autem patientie genus
solitus erat dicere tripartitum, videlicet ad
labores, iniurias, ad dampna rerum, ad corporis
lesionem. Hec ipse his exemplis se habere
probavit. Cum enim audisset episcopus eum amica-
biliter admonens, quidam scripsisset epistolam
ille vehementer excandescens amarissi-
mam ei scripsit epistolam, in principio ita dicens:
Salutem et non spiritum blasphemie. Tamquam
spiritu blasphemie ista scripsisset. Ad quem
ille: Ego spiritum blasphemie me habere non
credo, nec maledixisse cuiquam aut male-
dicere me velle scio, presertim principi populi tui.
Venerat abbas quidam pro cenobio construen-
do sexcentas marcas eidem insuper tota
pecunia dum deferret a predonibus sublata.
Quo audito nichil aliud dixit nisi benedictus
deus qui nobis pepercit ab honere isto. Et illis in-
quid qui tulerunt levius est ferendum quod
ei hac romana cupiditas se ulta est quam
magnam pecuniam magna eis temptationis
occasionem ingessit. Venerat insuper
canonicus regularis ad eum venit et ut
in monachum reciperet instanter rogavit.
Cui cum ille non acquiesceret, sed ad suam
ecclesiam redire persuaderet, ut quid inquit ille

aut in libris tuis per scriptorem cauta o-
pera et diligentia non exhibes, cupien-
ti? Unam illos tuos teneam libros
ut eos penitus lacerem. Cui ille: In
nullo eorum legisti non posse te in tuo clau-
stro esse per scientiam, mox correctorem non locorum
mutationem in libris omnibus quam dudum il-
le uos in sanius imperium ineunt tractes. Tam
graviter ei maxillam percussit ut sic
cederet tumor ictui et tumori rubor. Illi
qui aderant in sacrilegum insurgebant.
Sed prohibuit eos servus dei clamans
et adiurans per nomen Christi ut nullatenus
tangeretur, nec sibi quicquam iniurie in-
ferret. Novitiis autem intrare volenti-
bus dicere consueverat: Si ad ea que intus
sunt festinatis, hic foris dimittite corpora
que de seculo attulistis. Soli spiritus ingre-
diantur; caro enim non prodest quicquam.
¶ Pater ei qui domi remanserat ad mo-
nasterium venit et ibidem per aliquod tempus
in senectute bona decessit. Soror autem
eius seculo nupta cum in divitiis et delici-
is quondam viveret ad monasterium fratres
suos visitatura accessit. Cumque ve-
nisset cum comitatu et apparatu superbo,
ille eam tamquam rete dyaboli ad animas
capiendas abhorruit nec ad viden-
dum eam exire aliquatenus acquievit. Vi-
dens illa quod nullus fratrum suorum occurreret,
sed abiectio eorum que tunc peccatrix erat
fletibus involutum diceret, tota in la-
crimis resoluta est. Et si peccatrix sum,
inquit, pro talibus Christus mortuus est.
Quia enim peccatricem me sentio, id-
circo consilium et colloquium bonorum
requiro. Et si despicit frater meus carnem
meam, non despiciat servus dei animam me-
am. Veniat et precipiat et quicquid preceperit
adimplebo. Hanc ergo promissionem

tenuerunt exiit cum fratribus suis. Et quia eam
a viro separare non potuit, primo ei om-
nem mundi gloriam interdixit et formam
matris sue imitandam eidem iniungens eam
dimisit. Illa vero rediens ita repen-
te mutata est ut in medio seculi vitam
duceret heremiticam et ab omni seculo prius se
faceret alienam. Tandem precibus multis vi-
rum suum vicit et ab ipso absoluta mo-
nasterium introivit. ¶ Infirmatus ali-
quando vir dei cum extremum iam spiritum trahere
videretur, in extasi mentis sue ante tribu-
nal dei iussus est presentari. Affuit autem
et sathan ex adverso ipsum cum accu-
sationibus impulsans. Ubi vero ille omnia
prosecutus fuerat et viro dei pro sua parte fu-
it dicendum, nichil territus aut turbatus
ait: Fateor non sum dignus ego nec propriis
possum meritis regnum optinere celorum. Ceterum
duplici iure illud obtinens dominus meus, hereditate scilicet
patris et meritis passionis, altero ipse contentus
alterum michi donat. Ex cuius dono iure illud
vendicans non confundor. In hoc verbo confusus
inimicus, conventus ille solutus et vir
dei in se reversus est. Tanta autem abstinen-
tia, laboribus et vigiliis corpus suum attriv-
it, gravissima et fere continua egritudi-
ne languens conventum vix sequi po-
sset. ¶ Quadam vice dum gravissime in-
firmaretur, fratribus pro eo instanter o-
rantibus aliquantulum convaluisse se sen-
sit. Congregatis autem fratribus dixit: Quid
tenetis miserum hominem? Fortiores
estis et invaluistis. Parcite queso, parcite et
sinite me abire ad dominum. A multis autem
civitatibus vir dei in episcopum electus pre-
cipue a civitate ianuensi et civitate
mediolanensi, petentibus se nec abnu-
ens nec prebere renuens, dicebat
se non esse suum sed aliorum servicio de-

deputaui. fratres autem ex consilio uiri dei
se prouidant et summi pontificis auc-
toritate muniti erant ne quis gau-
dium suum ab eis tollere posset. Apud
aquitaniam mulier quedam miserabili-
ter a quodam demone petulante
et incubo uexabatur. Sex enim annis ab
illo se ea et incredibili uexauit libi-
dine. Adueniente autem illuc uiro dei
demon mulieri ne ad eum accedat ue-
hementer minatur, quia nil ei prodesse
posset. Et recedente eo ipse qui eius
fuerat amator crudelissimus fieret per-
secutor. At illa secure ad uirum dei
accessit et que patiebatur cum multo gemi-
tu enarrauit. Cui ille. Tolle meum ba-
culum et in tuo lectulo pone et si quid agere
potest agat. Quod cum fecisset et in lectu-
lo suo recumberet adest ille continuo sed
nec ad consuetum opus nec ad ipsum cubile
presumit accedere. Sed acriter minatur
quod illo recedente acriter se uin-
dicabit. Quod cum illa innotuisset
illis, ille populum conuocauit et omnes can-
delas in manu accensas habere precepit
demonemque cum uniuerso qui aderant
cetu excommunicauit ac ne ad illam
uel aliam accessum deinceps haberet inter-
dixit. Sicque illa a tali lesione peni-
tus liberata est. Cum quidam miles
ualde nobilis ad ordinem recepisset et
uirum dei quodam tempore sequeretur grauis-
sima cepit temptatione pulsari. Cum
autem quidam eum de fratribus tam tristem uide-
ret causam tristicie requisiuit. Cui ille respon-
dit. Scio inquid scio quod numquam
amplius letus ero. Quod uerbum cum dic-
tus frater ad seruum dei retulisset ille pro eo
attencius orauit. Statimque ille frater qui
tam temptatus et tam tristis erat tantum

ceteris apparuit iocundior et hylarior quan-
to prius ceteris tristior. Cum autem dominus seruo uer-
bum in medium quod locutus fuerat amica-
biliter improperaret. videlicet numquam amplius
letus ero. ille Respondit et dixit nunc dico
eo numquam amplius tristis ero. Deum per hunc
multa miracula perpetrauisset et c.lx. mona-
steria construxisset multos libros et tractatus
compilasset consummatis uite sue diebus
circiter lxiii. anno domini m.c.liii. inter filio-
rum manus obdormiuit in domino. Post
obitum suum multis gloriam suam reuelauit.
Cuidam enim abbati in quodam monasterio
apparuit et ut se sequeretur admonuit. Et
cum sequeretur dixit ei uir dei. Ecce
ad montem libani uenimus et tu hic ma-
nebis. ego autem illuc ascendam. Interrogatus
ab eo ad quid uellet ascendere dixit
ut discam. Miratur ille quid dicit
inquit uis discere pater quem nullum hodie in
sciencia credimus esse similem. Et ille. Nulla hic
sciencia nulla hic cognitio. sursum sciencie
plenitudo. sursum ueri noticia luminis.
Et in hoc uerbo disparuit. Ille autem diem no-
tauit et sanctum uirum dei Bernardum de carne migras-
se inuenit. Multa autem alia et pene in-
numerabilia miracula per seruum suum deus
operatus est. Legitur in uita alius sa-
cerdos de beneficia qui fuerat decanus lingo-
nensis. quod cum fuisset xxv. annis in
nemore ardennensi post mortem suam ap-
paruit lingonensis episcopo in maxima
gloria et dixit ei quod in hora mortis
eius xxx milia decesserunt e quibus ipse
et beatus Bernardus statim in celum ascenderunt
ceteri in purgatorium. reliqui omnes in in-
fernum. De s. Thymotheo.

Thymotheus qui timorem tenens ut
a timore et theos quod est deus quasi
timor dei. De s. Simphoriano